

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI

Med. D.

HISTORIA  
PHYSICES  
EXPERIMENTALIS

QUA

ANTIQUITATEM EJUS, ORTUM  
& PROGRESSUM

LOCO

PANEGYRIS INAUGVRALIS

In

*Pleno Antistitum Confessu & fre-  
quenti Civium Academicorum confluxu  
adstruebat*

Cum

*Pridiè Calendas Iunii Anni MDC LXXXVII*

PROFESSIONEM PHYSICES  
ORDINARIAM

In Per - Illustri Academiâ Giessena  
ordiretur.

---

GISSÆ HASSORUM,  
Typis & Impensis HENNINGI MÜLLERI,  
MDC LXXXVIII.



*Serenissima & Celsissima Principi  
ac Dominae,*

**DN. ELISABETHÆ  
DOROTHEÆ,  
HASSIÆ LANDGRAVIÆ,  
PRINCIPI Hersfeldiæ, Natæ Ducissæ  
Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium, Co-  
mitissæ in Cattimeliboco, Deciâ, Zigen-  
hainâ, Nidda, Schaumburgo, Ysen-  
burgo & Budingâ,  
PRINCIPI ac DOMINAE Meæ  
CLEMENTISSIMAE!**

**D***EO per Sacrificia olim adorari solito Primitia debe-  
bantur, Princeps Augustissima, quas ab illorum  
desuetudine Reges alicubi atq; Imperatores sibi vin-  
dicar*

*dicare consuevere. Dum ergò & has Functionis nuper Gra-  
tiosissimè demandata Primitias in apricum profero, Sere-  
nissimæ TUÆ Celsitudini easdem in Devotissimum pa-  
riter ac Humilimum subjectionis holocaustum jure merito-  
ve consecro, cui DEI T.O.M. Gratiâ Regnanti vitam u-  
nicè & fortunam in acceptis fero. Suscipe igitur, Princeps  
Optima Maxima, quod ex cultu devotissimo ferè tremulâ  
manu offero, & humi prostratâ Reverentia ad sublimem Se-  
renitatis Tuæ Thronum cernuus depono, tributum, ac Cle-  
mentissimâ Gratia Principali porrò subjectissimam me-  
am tenuitatem protege, qua DEUM supplex adorabit, ut  
Serenitati Tuæ Regimen placatum, securum, fortunatum,  
Augustissimæ Domus Hasso-Darmstatinæ Incremen-  
ta, Pacem, Incolumitatem & omnia quæ Principalis un-  
quam Eminentia SIBI vindicare potest, largiatur abun-  
danter!*

SERENITATIS TUÆ

*Clientis Subjectissimus,  
Humilimus*

Mich. Bernh. Valentini,  
D. & P. P.



*Magnifice DN. RECTOR,*  
*VIRI Plurimum-Reverendi, Consultissimi, Expe-*  
*rientissimi, Excellentissimi, Acutissimi, cateriq<sup>3</sup>*  
*Cives undiq<sup>3</sup> Circumstantes Generosi*  
*& Pra-Nobiles,*  
*Quotquot adestis Auditores OO. Honoratissimi!*



OC ego dum jam primâ vice occupo Sugge-  
 stum, haud fortè disparem cum iis subeo ca-  
 rastrophen, qui ex absconditis vinculorum  
 tenebris expliciti, ad pristinae lucis conspe-  
 ctum exœcari solent. Quum enim mul-  
 tam vitæ meæ partem in obscurô degerim, nunc verò Jussu  
 Principali in apricum veniundum sit, tantò undique splendo-  
 re circumfundor, ut illuc animum facilius, quàm oculos at-  
 tollam. *Ab unâ* quippe *parte* fulgentissimum *Solis Hassiaci*  
 veneror exortum: *Ab alterâ* tot *Academiae Nostrae* Lumina,  
 radios suos catervatim in me concentrantia. Aquilinam  
 hîc oculorum aciem exoptârim, ut obversò generosè vultu  
 illis obviam ire & coruscum utrobique jubar cominus ex-  
 periri liceat! *Illic* Gratiostimos, quos ex *Aulâ Principali*  
*Darmstatina*, tanquam verò *Solis Hassiaci* vortice, persen-  
 tisco radios, quæis *Serenissima Nostra Princeps ac Domina, DN.*

ELISABETHA DOROTHEA, Hassiæ Land-  
 gravia, Princeps Hersfeldiæ, Nata Ducissa Sa-  
 xoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Comitissa in  
 Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhaina, Nidda,  
 Schaumburgo, Ysenburgo & Budinga, &c.  
 Sceptra Principalia Tutoriô vibrans nomine, *Domina Nostra*  
*Clementissima*, Principali ad Cathedram vocatione me ferire  
 dicam an fovere acquievit. *Hic* verò tot Globi Academici  
 Sidera, quæ vel olim subsellia hæc exornarunt unquam, vel  
 usquedum illustrant ita, ut parum absit, quin ad conspectum  
 illorum lumine voceque captus prorsus obmutescam. At  
 verum enim verò, pro certò jam umbraculò est *Vestra*, PA-  
 TRES ACADEMIÆ, præsentia, admodum honorifica,  
 quæ hallucinanti mihi & in Oratorum rostris hæctenus nu-  
 spiam exercitato animum modò addit, ut, quam jussu vestro  
 & arbitrio cœpi telam, pertexere sustineam.

Quandoquidem enim & legibus cautum & more re-  
 ceptum sit, ut pro feliciori *Muneris Academici* auspicio ex hoc  
 ipsò loco verbâ prius faciendâ sint; æquum omninò erat hu-  
 ic Superiorum ordini decenter morem gerere, utut vix a-  
 ptum suppetat argumentum, quò ad dignitatem Auditorii  
 exsurgat oratio. Intereâ, ne *Areopagitarum* instar à *vev* *vev* *vev* *vev*  
*Spartam* meam occupasse, aut temerè ad eandem (*quod iura*  
*vetant*) & repentiè profiluisse videar, ea modò seligam, quæ  
 à munere mihi demandatò haud multum aliena sunt, &  
 ad *Physices*, ut vocant, *Experimentalis* illustrationem ver-  
 gunt. Absit interim, ut Stentores hîc aut Agyrtas secutu-  
 rus sim, qui publicis in forò nugis verba dare & vel nomine  
 jam suspecta unguenta perfriçtâ fronte dilaudando simplici-  
 oribus palpum obtrudere intus & in sinu gaudent. *Quin*  
*de*

de *Scientiâ Nobilissimâ* jam acturus, aperto planoque dicendi genere tantum *Orum* ejus & *Progressum* Historica fide referam, verba rebus ita commissurus, ut quacunque duxerint, hâc inelaborata sequatur Oratio. Fiet enim ita, ut citra omne, quod fors expectari poterat, encomium, oppidò appareat & *antiquissimum* esse *Physicæ Mechanicæ Studium* & ita comparatum, ut factâ cum vulgari Scholasticorum methodo supputatione, tantum illa præmineat,

*Quantum inter lenta solent viburna cupressi.*

Cumque desuper non tam ex vanæ gloriæ aucupio, aut animo ad ostentationem facto huc accesserim, quàm ex legali causa ac Eorum jussu comparuerim, quorum nictus pro imperio, velle pro lege est; hinc *Vestram*, VIRI OO. HONORATISSIMI in audiendo patientiam, judicando æquitatem, assentiendo denique facilitatem eò pronius mihi compromitto, quo facta VOBIS inclinatione ardentius id sollicito.

Dum verò jam pro æstumatissimæ *Experimentalis Philosophiæ* gloriâ milito, classicum ex adverso canere & agmine jam factò mihi jugulum petere videntur universæ Scholasticorum copiæ, quæ Tartaris hodiè terribiles Moscorum Legionès ferè numero superare possent. Sicut enim ars non habet osorem nisi ignorantem, ita plures illi sunt, qui aut sublimitate rei aut laboribus deterriti, ex supino livore & invidia eandem aliis pariter suspectam reddere, & si non prorsus (\*) *impiam* vel irreligiosam (\*\*\*) *novitate* tamen *plenam* execrari

(\*) Quàm hypocritica hîc anguis sub herbâ latitet, eminus odoratus est Philosophus. Quidam Eminentissimus, qui missis haud ita pridem literis ad Illustrissimam Germaniæ Personam ita conqueritur: Es ist ein arcanum Policum, daß wo man einen/den man gern über Bord werffen wolte / nicht bekommen kan / dann unter dem Prætext des Religion Eifers die größte revange und privat-interesse durchgetrieben wird. Vid. Copia eines Schreibens an eine Hohe Standes Person in Teutichland von der Cartesianischen Philosophi und Coccesanischen Theologia. Colon. 1687. (\*\*\*) Et hoc Salsè rider Author modo allegatus, c. l. p. 7.

execrari solent: Utrumque citra omne meritum. Nec enim heri, vel nudius demum tertius invaluit hæc Philosophandi ratio, sed ultra remotissimam hominum memoriam à longis retroseculis eandem floruisse, extra omnem dubitationis aleam est positum. Quod ut appareat, non adducam hæc antiquissimos *Secretorum, Arcanorum & Naturæ Mirandorum* Scriptores palam sæpè fabulosos, MIZALDUM, (\*\*\*) ALBERTUM MAGNUM, BAPTISTAM PORTAM, KIRANNIDEM & alios, cum neque fide, neque annorum serie hinc suffeni sint qui Nos ad primam Scientiæ hujus scaturiginem deducere possint. Altius omnino repetendi sunt ejusdem natales, quorum haud obscura in Sacris vestigia occurrent iis, qui, ut Christianos decet, sanctissimum Dei verbum noctes atque dies cum Divo Citharædō habent in deliciis. Hoc enim si vel à limine salutaveris, apparebit ὀφθαλμοφανέρως Scientiam hanc infelici hominum Protoplastæ ADAMO concreatam in ipso Paradisō sua cepisse primordia. Certè vel sola nominum impositio id evincere videtur, quam ab ADAMO ante factam, quàm animalium aliorumque corporum indolem experimentis primò factis observârit, adeò non est probabile, ut contrarium potius inde sustinere audeam, quòd, ut vulgò dicitur

*Convenient rebus nomina sæpe suis.*

Enimverò, cum Evam ex costâ suâ divinitus efformatam cerneret, eandem Viraginem appellavit, hæc, ut textus habet, de causâ, quòd à Virō sit decerpta: Unde nullus dubito, quin & in cæteris rerum appellationibus idem ab ADAMO observatum sit, utut hanc de ὀνομασθησείᾳ controversiam, ut altioris indaginis opus Reverendiss. Dnn. Theologis jure meri-

(\*\*\*) Hunc tamen libri spiritus impuratione injuriâ affici credit *Generosissimus* DN. BOYLE in *Prefat. Operum Suorum.*

meritovè relinquam. Sufficiat saltem evicisse **ADAMUM** in Paradisò constitutum in *Physicis* haud adeò fuisse rudem. Quid quòd in tantum inhiarit *experimentis*, ut ex nimià demum curiositate negata concupiverit & ex pomi veriti degustatione per mortes hominum experimentum egerit, quod ipsum tamen hìc in insontissimæ Scientiæ præjudicium non adduxero. Ut verò & cæteros *Physicos Experimentales Biblicos* absolvam, **MOSES** jam in scenam prodeat, quem Disciplinae hujus adeò quidem gnarum fuisse credunt, ut **ROBERTUS** de **FLUCTIBUS**, **RICHARDUS** **BUNWORTH**, **DANÆUS**, **VALLESIUS**, **PERERIIUS**, **COMENIUS**, **HORNIUS**, **JOH.** de **MEY** & alii *Physica Mosaica* Scriptores primum Creationis librum pro unicâ *Physices* normâ habeant atque regula, quam excessivam tamen illorum sanctitatem vel ex eò averfatur *Inchyus* **MORHOFIUS**, quòd sacra profanis immiscendo sæpe tristi se enthusiasmo implicent, ut superiori seculo **FRATRES** **ROSEÆ CRUCIS**, nunc verò **ÆGIDIUS** **GUTTMAN**, **BOEHMIUS**, **KUHLMANNUS** & alii. Quicquid sit, **MOSSEN** tamen rebus hisce deditum fuisse credere me jubet *experimentum* ejus centum boum mactatione dignum, quò aureum *Apostatarum Vitulum* in cineres redigere & in pulverem mari innatantem immutare novit, quæ certè haud parvi momenti res est, cùm unanimi Chymicorum consensu proclivius sit efficere, quàm destruere aurum. Unde factum, ut non ipse *Physicis* modò, sed & *Chymicis* altioribus, quos *Adeptos* vocant, annumeratus fuerit, eoq;ue magis, quòd *liber* extet *Chymicus*, quem Soror Ejus **MIRIAM** conscripsisse dicitur ab iis, qui in conficiendo auro lapideq; *Philosophico* facultates sæpe atq; studia dilapidant. Aliâ verò arte sibi aurum cumulabat **JACOB**, *Tertius* in ordine *Physicus*, dum astu à Socero repetenda erat

*Merces detenta laborum.*

Bina nempe vice illi fucum fecerat fraudulentus Laban, dum pro desponsata carè Rahele lippientem Leam ipsi clanculum obtruserat & avarâ sæpè manu promerita laborum præmia exsolverat. Quid vero Jacob? Pol! quàm egregiò tunc inventò inexcusabilem Sòceri perfidiam in proprium ipsi caput refundebat! Noverat enim Patriarcha, quid distent æra lupinis & quantum in pecorum conceptione phantasia valeat: Quare positis ad aquaria virgulis ex atroalbicantibus, cum summò Sòceri stupore, id tandem effecit, ut major ovium portio ( variegata sc. ) ex pacto ipsi caderet, quod ut immensum familiæ pondus addidit, ita summa *Physices Experimentalis* utilitas inde sponte elucescit. Quid tandem de SALOMONE dicam, *Physicorum Principe*? Fallor an inexhaustos, quos indies obtinebat auri argentivè acervos summæ quâ claruit Physicæ cognitioni tulere acceptos, cum Spiritus in Scripturâ attestetur, quòd *elocutus sit de plantis à cedro, quæ est in Libano, usq; ad hyssopum, quæ prodit è pariete, de jumentis, reptilibus & piscibus*: Causam addit JOSEPHUS: Nullius enim horum indolem ignoravit. (\*\*\*\*) Unde sunt, qui accuratissimam ab Eò *Rerum Naturalium Historiam* literis mandatam esse credunt, cujus magno quondam desiderio tenebatur, *καθημερία* Theologicâ non minus quàm leporibus in Sermone *Celeberrimus*, D N. D. SCHUPPIUS, qui Vernaculâ hunc in textum ita comentatur: *Ich möchte gern SALOMONIS Physick sehen und lesen; mich düncket die Physick sey von unsern Philosophis noch nicht recht excoliret. Was ist / daß man auff Universitäten disputiret / de numero elementorum, de motu, de materia*

(\*\*\*\*) His fortè ansam dedit illud *Eccles. 12. v. 10. Cùm esset Sapientissimus, conscripsit Sermones relictissimos & veritate plenos. Notatu tamen digna pariter sunt, quæ de Scripris SALOMONIS habet WENDELINVS in Contemplat. Phys. Lib. 1. cap. 2. §. 10. pag. 10. Edit. Anglica.*

*riâ prima? &c.* Dolendum autem est, quod aurea hæc SALOMONIS *Scripta* ita interciderint, ut vix tribus in S. Codice verbis eorum mentio fiat. Ridicula dicam an iniqua planè causa est, quam ex Hebræorum mente refert CAMERARIUS, quòd ex mandatò Regis Ezechix ideò cremata sint, ne ad idololatriam ratione isthac homines adducerentur. Cujus farinae quoque est cariosum *Alexandri III. Decretum*, quod Seculi XII anno LXIII tum Româ Exul Turo- nibus in Galliâ pro Concilio XVII Cardinalibus, centum verò & viginti quinque Episcopis frequentatò fanciit, quod, ut Gravissimus Autor AVENTINUS habet, ita sonat: *Saceris initiatus rebus profanis abstinero, Leges atq; Physica non audito;* ad quod condendum quid congregatos Patres impulerit, dum cogito, dubius profectò & anceps valdè hæsito? Quid enim? An dicam credidisse illos *naturalium rerum indagatio- nem* (nam de *Legum cognitione* non agit oratio nostra) Theolo- gum neutiquam decere? an affirmem illos, qui rebus sacris eâ tempestate præfecti fuere, omnem Physicis, adeoque alienis studiis operam navasse, ut Philosophantium animos in naturæ campum effusos frenò aliquo cohibendos, atque intra Scripturæ terminos revocandos esse judicarent? Anne conjiciam *Patres* hosce *Turomenses* tristi demum experienciâ didicisse Naturales Disciplinas (ut tunc erat rerum huma- narum status) verbalibus unicè contentionibus & inanibus Disputationum tricis irretitas Ecclesiæ Christi incommo- dare admodùm, quod ab *Experimentalis* tamen *Scientia* quàm maximè alienum esse constat. Verum illuc jam redeo, unde paululum digressus sum; & quamvis certum esse constet, nostris modò temporibus de Divina SALOMONIS *Phy- sica* nequicquam amplius in Scriptis superesse, nil tamen im- pedit, quo minus quis assereret, haud pauca Ejus rudera ad Posterios per *Secretiorem Cabalam* abiisse, ac vivâ saltem voce

propagata esse. Si enim ulla hominum gens est, quæ Scientias suas atque Artes in secretis habet, is sane, si *Chinenses* fors excipias, *Hebræorum natio* est, quæ Nostris hominibus familiarem scripturandi cacoethes, si quid aliud, averfatur admodum. Sicut igitur hodiernis, qui Politicorum suasionibus inter Christianos tolerantur usque Judæis, iis præprimis, qui illotis sæpè manibus in sacra Artis Medicæ delubra irruunt, nil æquè familiare est, quàm ut *experimenta* à Parentibus Sibi hæreditariò relicta jactitent, ita credibile ferè est, quædam Veterum Physicorum fragmenta, in per-antiquis Hebræorum Scholis oretenus illis credita fuisse: Nam & illos Scholis olim Publicis, quas Academias vocant, gavisos esse, ex hõc ipsò loco Panegyricè quondam docuisse novi Πολυμαθῆσανον *Nostrum CLODIUM*, quem è Cathedra modò venerari licet. Erat hæc *prima Physices Experimentalis infantia*, quæ ob teneros ætatis annos scripturæ nescia, adeò silentii peplo omnia involvit, ut ne rudera quidem amplius supersint. Postquam verò sub captivitatis Babylonicæ miserâ à Judæis ad Persas devolutum est Physicæ Palladium, indeque Græcis paulò post innotuit, scriptioni demum manum admovère, ut relicta utrobique monumenta attestantur: Illic innotuêrunt hæctenus aliquot *fragmenta*, quæ HERMETI TRISMEGISTO vulgò tribuuntur, utut à CONRINGIO olim dubitatum sit, an in rerum unquam natura HERMES hic exstiterit? Cui tamen dudum satisfacit *Inchyris BORRICHIUS*, qui magnæ famæ Antiquario ostendit, quam altè sæpè Bonus dormiat Homerus. Quod si ita sit, extra omne dubium est, Eundem *Naturalis Philosophia* claruisse admodum, adeo quidem, ut TERTULLIANO non sine causa *Physicorum* audiat *Magister*. Pleraque sane, quæ Philosophi Nostrates de necessitate, clatere & effectu aëris experimentis suis ostendêre, haud ob-

scuro

scure in *Smaragdina* Ejus *Tabula* leguntur, quam è fonte Latio  
 nuperrimè restituit DN. KRIEGSMANNUS, in Chymicis  
 quondam Versatissimus: Hoc enim scriptum illud est, quod  
 pro *Aurea* sua *Bulla* habet *Adeptorum* Monarchia, sed Oedipus  
 sit, qui hoc ænigma solverit! Quare relictâ tantisper Persiâ  
 ad salutandum ARISTOTELEM in Græciam divertamus,  
 quem in *Experimentis* quondam fuisse totum, *Historia* Ejus  
*Animalium* abundè attestatur. Postquam enim Magnus O-  
 rientis Domitor Alexander animalium indoles dignoscendi  
 desiderio flagraret, ARISTOTELI hanc Spartam delega-  
 bat, cui PLINIO Teste aliquot millia hominum in totius *Asia*  
*Græciâq;* tractu, quos venatus, aucupia piscatusq; alere noverat, qui-  
 busq; vivaria, armenta, abvearia, piscina, aviaria in curâ erant, parere  
 iussit, ne scil. quid usquam gentium ignoraretur ab illo. Quid quod  
 ipsi ARISTOTELI pro labore illîc præstito octingenta sol-  
 verit talenta, quæ computatione factâ coronatorum aureo-  
 rum quadringenta & octoginta millia faciunt: Unde libros  
 hosce (\*\*\*\*\*) opus multorum talentorum olim dictos esse, Anti-  
 quorum monumenta ferunt. De cætero dolendum est  
 tanti ingenii Virum paulò post Generalibus animi concepti-  
 bus plus justò indulgisse nec cceptam in Naturâ telam perte-  
 xisse. Nullus enim dubito, quin plura Ei in *Physicis Expe-*  
*rimenta* innocuerint, quæ aut insuper habuit, aut ex invidiâ  
 aliis pandere recusavit. Mirabimini forte AUDITORES,  
 quòd ARISTOTELEM arcana Philosophiæ aliis pandere  
 noluisse dicam, cùm neminem è contra lateat illum tot tan-  
 tisq; voluminibus sua aliorumque Sapientum placita po-  
 steris tradidisse. At verò, quæ jam protuli, non ego modò  
 finxi, aut alius paulò ante me, sed, qui hominis candor est,  
 ipse profitetur ARISTOTELES. Quum enim, attestante  
 PLUTARCHO, AULO que GELLIO, Alexander

B 3

Magnus

(\*\*\*\*\*) *Græcis πρῶτα μάλιστα πονηρίαν*

Magnus scriptis ad Præceptorem literis conquestus esset, quò editis ab eò *Acroamaticis Libris* divulgarentur Sapientiæ secreta, quò fieret, ut nulla amplius re ipse aliis præstaret; respondit Regi Stagirites, nequaquam id metuendum, hosce enim libros (\*) *editos esse & non editos*. Quibus sine dubiò verbis significare voluit, ita se, quæ publicè divulgavit, vocum dictionumque involucris abdidisse, ut verum ubique eruere sensum ne diligentissimùs quidem aut perspicacissimus possit. Atque hinc factum, ut si non omnis, saltem plurima *Peripateticorum* opera scribendis librorum tam obscurorum expositionibus impenderetur, quâ tamen ratione Autorem istum, qui intelligi noluit, haud dum satis illustratum fuisse inde colligas, quòd Seculo XV HERMOLAUS BARBARUS, modò vera sint, quæ de illò fabulantur, malum Dæmonem in illò explicando consulere voluerit. Adeò verum est, quòd THEMISTIUM, Aristotelis Interpretem, quodam in loco dixisse monet LUDOVICUS VIVES, *furori simile esse, si quis speret, se ex ARISTOTELIS Scriptis sententiam Ejus penitus assecuturum*. Permittite AUDITORES, ut verbò tangam quæsitæ hujus obscuritatis causam, quò appareat nihil planè à me dici, quòd ad tanti Viri, de posteritate certè non malè meriti, contumeliam vergat, aut contemtum. Neque enim solus hic fuit Philosophus, qui studiò quæsitavit obscuritatem, sed *Veteres ad unum omnes* (cum LUDOVICO VIVE loquor) *inviderunt Nobis beneficium suæ institutionis, dum ea, quæ invenissent, non aperte ac simpliciter nobis communicarunt, sed tot involucris contexta, ut facilius esset illa ex ipsa Natura rerum eruere, quam ex eorum libris*. Nempe arcere voluerunt, profanum vulgus à cognitione rerum, quas traderent, contaminaturum, non intellecturum; aut si intelligeret, non satis sive Philosophiam sive Philosophiæ Antistites æstimatu-

(\*) *καὶ ἐκδεδωμένους, καὶ μὴ ἐκδεδωμένους.*

maturum. Non dicam, quod tamen idem VIVES affirmare non dubitat, fuisse præterea causam peculiarem, cur ARISTOTELES obscurò uteretur scribendi genere. Cum enim primùm Scriptores omnes, qui ante ipsum fuissent, carpsent, callido & vafro Virum ingenio talionem veritum, sententiis esse usum ambiguus & utrumq; in latus flexibilibus; ne quis etiam existeret, qui dicta Ejus laceraret, ita cavisse sibi semper viâ, quâ elabi deprehensus posset, ne teneretur, ut quicquid dixisse videretur, integrum esset ei, qui illum tenendum suscepisset, negare, eam fuisse illius mentem. Hæc est, AUDITORES, Viri aliâs Sapientissimi æq; ac Æquissimi de ARISTOTELE suspicio, quam ipsam tamen hîc pro infallibili neutriquam obtrudo. Sufficiat saltem indigitasse, plura ARISTOTELIS *experimenta* aut obscuritate esse implicata, aut silentio penitus oppressa. Necrot ejus *Interpretes*, sive Arabes, ut AVERROES & AVICENNA, sive *Scholastici* THOMISTÆ, SCOTISTÆ, NOMINALES, REALES, OCCAMISTÆ, ALBERTISTÆ & similis farinae Socii hîc ullas nobis suppetias tulere, quorum *Physica*, VERULAMII judicio, nihil aliud, quàm inanes *Dialecticæ* voces sonat, adeò quidem, ut *Conterraneus* ejus WILLIS sui quasi tædiò correptus, non possit non summum, quem inde sentit pudorem profiteri publicè, dum: *Puduit, inquit, me hæctenus precariò fuisse Philosophum, & Poeticam quandam Physicem me meosq; Audizores delinivisse & utrisq; tanquam incantamentò quòdam fecisse fucum.* In paucis ergò *Stagirite* Scriptis paulatim *adolevit* ipsa *Physica*, vultu tristiq; severò, donec *Seculo XV* uti aliarum artium, sic & *Philosophiæ Naturalis* studium cœpit esse paulò felicius, quàm erat *Seculis* proximè antecedentibus. Quum enim *Græcum Imperium* à *Turcis* miserè vastaretur,

*Veteres migrando Colonæ*

*in Occidentem delapsi primùm in Italia, mox & in Germaniæ aliis,*

aliisque Europæ Regionibus Græci Sermonis studium excitarunt ita, ut præclari *Philosophiæ Scriptores* PLATO, ARISTOTELES, THEMISTIUS, THEOPHRASTUS interjectis paucis annorum revolutionibus in Latinam transferrentur & ab utroque PLINIO, SCALIGERO, CARDANO atque aliis magis magisque excolerentur. Magnam hîc penes Eruditos gratiam iniit THEODORUS GAZA, qui Naturalis Scientiæ augmenta quærens *Historiam Plantarum* à THEOPHRASTO, *Animalium* verò ab ARISTOTELE conscriptam, hujusq; *libros de partibus atq; generatione animalium* Latinè reddidit. Interim sterilis adhuc & in primis *juventutis annis* Experimentiæ haud Magnæ erat Naturalis Disciplina, donec ineunte hoc, quod jam ad finem properat *Seculô XVII* in apertum se florem induerit, dum FRANCISCUS BACO de VERULAMIO, Magnus quondam *Angliæ Cancellarius* Veterum aliis excussit, & quæ erat Sapientiâ atque Eruditione in emendandâ augendaque Physicâ Experimentali omnem movit lapidem. Improbavit Is *ingenia* vel in admirationem antiquitatis, vel in amorem & amplexum novitatis effusa; laudavit quæ ejus sunt temperamenti, ut modum tenere possint, ne aut quæ rectè posita sunt ab Antiquis convellant, aut ea contemnant, quæ rectè afferuntur à Novis. Arbitramus rectissimè hoc magno Scientiarum & Philosophiæ detrimento fieri, quum studia potius sunt antiquitatis & novitatis, quàm judicia. Veritatem autem non à felicitate temporis alicujus, quæ res varia est, sed à lumine Naturæ & Experimentiæ, quod æternum est, petendam. Et quia credidit Arabes & Scholasticos (ipsius modò verba referam) *Scientias potius contrivisse numerosis tractatibus, quàm pondus earum auxisse*, ostensis prius erroribus & Scholarum ulceribus manum hîc Medicam admovit, atque aliam emergendi viam ostendit, quâ per continuam effectuum naturalium observatio-

nem

nem & tentanda indies *experimenta* rerum causæ ita demon-  
strari possint, ut nolentes etiam volentes ad assensum trahere  
valeant. Haud multò post strenuas Ipsi in expurgando  
hòc Augiæ stabulò suppetias tulit **RENATUS** des **CAR-**  
**TES**, *Nobili* in Galliis *Stemmate* prognatus, ut ex Splendi-  
dissimo Ejus, quod in *Sacrariò* quodam *Parisiensi* nuper vi-  
dere licuit, (\*\*)*Epitaphiò* constat. Hic si quis alius antiquam  
Philosophiæ faciem prorsus immutavit. *An autem in melius*  
*mutarit, an in pejus*, de eò & multæ & vehementes & diutur-  
næ passim intercedunt lites, nescio quando finiendæ? Lau-  
datur ab his, culpatur ab illis. Hic Virum ad astra tollere, se-  
qui, probare ferè semper: Is contra reprehendere, accu-  
sare, damnare, ut majori quis discrimine inter utrosque sta-  
tuatur arbiter, quam **PARIS** inter litigantes de formæ præ-  
stantiâ Deas, tam est suæ quisque addictus sententiæ. Li-  
berè tamen, **AUDITORES**, dicam, quod heic quidem sen-  
tio: Singulari prorsus & insigni Dei beneficio didicisse tan-  
dem homines ratione ita uti, ut non amplius sint, sicut equus  
& bos, quibus non inest intellectus, sed ab insolenti Veterum  
*Authoritate* emancipati in quovis *Doctrinæ* genere in ipsam  
veritatis lucem intueri possint, nec umbram pro corpore vel  
pro Junone nubem amplectantur, h. e. inanes pro rebus so-  
nos & sine pondere voces. Quod autem tantum in Uni-  
versi hujus naturâ indagandâ profecerint, nescio, annon bo-  
nâ ex parte acceptum sit **CARTESIO** ferendum, qui *novâ*  
planè *methodò* eam tandem & iniiit & aliis ostendit viam, quâ  
& Creatoris existentiam & singulas *φαινομένων* naturalium  
causas, more planè *Geometricò* ita *clarè* & *distinctè* explicari  
pos-

(\*\*) Hòc admodum superbit **TOBIAS ANDREÆ** in *Affert. Methodi*  
*Cartesiana contra Revium*. Idem pariter ostentat *la description nouvelle de ce qu'il*  
*y a de plus remarquable dans la ville de Paris* Par M. B. Tom. II. pag. m. 23. Aliud  
verò quod **PETRUS CHANUTUS** Ei in Suecia posuit monumentum, vide, sis,  
apud **LIPSDORPIVM** in *Specim. Cartesiana Philosophia* Part. II. pag. 89.

possint, ut vix ampliùs de iis dubitari possit. Nemo tamen mihi persuadebit, eum à recto veritatis tramite nunquam aberrasse, quin compertum habeo, ut plurimarum rerum naturalium causas optimè detexerit, ita humani sæpe quid esse passum, à nullò mortalium alienum. Quod autem & *Atheorum* numero à nonnullis sit ascriptus, illud & durum nimis est, & à Strenuo Ejus Vindice TOBIA ANDREÆ masculè refutatum. Quid quod ipse Philosophus tum in *Tomis* dudum *publicatis*, tum in Regiis CHRISTINÆ SVECICÆ scriniis adhucdum delitescentibus *Manuscriptis* innocentiam suam satis explicârit, nec juratos sibi adversarios unquam dimiserit inultos, quorum agmen ferè duxit PÉTRUS GASSENDUS, quem instar omnium hîc nominasse sufficiat. Dum enim in Belgiò Philosophatus est CARTESIUS, Gallia hunc GASSENDUM alebat, Virum in Veterum monumentis versatissimum, qui EPICURI potissimum & DEMOCRITI doctrinam ex Orcò revocavit, atque propriò, quò mirè excelluit, ingenio ad exornandum *Corpuscularis Philosophiæ* studium multum contulit, eaque propter magnam penes Nostrates gratiam iniisset, nisi coætaneum sibi CARTESIUM tot calumniis irritasset, quod pessimè habet Ejus Sectatores, DN. Le GRAND, TATTINGHOFIUM, LIPSTORPIUM, CONSENTINUM, REGIUM, ROHAULT, CLAÜBERGIUM, SVICERUM & quem annò nuper decrepitò *Parisiis* in *Collegio Plessæo* è Cathedra profitentem coram admiratus sum DN. Du HAMEL, *Philosophum Nostrî Seculi Famigeratissimum*. Cæterum, cum multa CARTESII dogmata hypothefibus innitantur vix semper probabilibus, *Natura* autem, ut cordatè judicat HELMONTIUS, *non amet hypothefes, sed nuda spectari desideret* hinc à Modernis ad *Experimenta* rursus itum, quæ tantò hodie fervore in omnibus Europæ

locis

locis peraguntur, ut in summò jam plenoque ætatis vigore constituta videatur ipsa Physica. Quanta Bone DEUS! quanta non præstitit Illustrissimus in Anglia BOYLEUS, cujus aureos Discursus & Conspectura Venerabilem cum Interprete ABERCOMBIO pro æstumatissimò, quem ex Anglico super Itinere reportavi, thesauro reputo. Quanta Conterranei DIGBÆUS, HOOKIUS, WILLISIUS, WALLISIUS, GREWIUS, NEEDHAM, LOWERUS, PAPPIN, binique Rei Botanica Restauratores MORISON atque RAJUS! Quanta non HUBINUS Eminentissimus in Gallia Mechanicus, VERNEJUS, DuBLEGNY, LEMMERY, MERY, MALEBRANCHE & alii! Quanta non Lynceus in Italia MALPHIGIUS! Quanta in Belgio DRELINCURTIUS, HERMANNI, VOLDERUS, SENGUERDIUS, NUCKIUS, LEWENHOEK, RUISCIUS, BIDLOVIUS, SYLVESTER & alia dulcissima mihi nomina! Quanta BARTHOLINI, PAULI, BORRICHII, quibus Dania superbit? Nec ultimos & ab omni humanitate remotissimos INDOS atque GARAMANTAS ab hac Scientiâ multum alienos esse, credere me jubet PLINIUS illorum SINICVS vel solis characteribus admirandus & in Selectissima Per-Illustris DN. LV DOLPHI Bibliotheca conspiciendus; ad quem utinam Invento suo Brandenburgicò, seu, quam meditatur, Clave Sinica accessum pararet Vir in hisce versatissimus DN. ANDREAS MVLLER, Præpositus quondam Bero-  
linensis, quò tandem obviam ire liceat tot sublevis hætenus contradictionibus, quas BENZA, BONZIVS, A COSTA, CLEYERUS, KIRCHERUS, LAET, LINSCHOTTUS, MARGGRAVIUS, MARTINI, NIHOFIUS, PISO, RECCHI, FRANCISCI aliique Rerum Indicarum Scriptores nobis reliquere. Quid verò multa de Extraneis, cum nec Germania Nostra adeò sterilis sit, quin Viros alat Scientiæ huic addictissimos VOLCKAMMEROS puta, MAJORES, MORHOFIOS, GUERICKE, MENZELIOS, PECHLINOS, LANGELOTTOS, AMMANNOS, BOHNIOS, WEDELIOS, WALDSCHMIDIOS,

DOLÆOS, REISELIOS, STURMIOS, ECKARTOS, POSNE-  
 ROS & quos non? Dies me deficeret si pretiosissima sin-  
 gulorum inventa hæc ostentare vellem; quibus accepta  
 demum annorum maturitate, vix intra privatos amplius pa-  
 rietes latuisse contenta *Physica Experimentalis* in integras tan-  
 dem *Academias* succrevit, seu, ut vulgò audiunt, *Collegia Curiosa*,  
 quæ inter agmen ferè ducit *Regia Anglorum Societas*, cujus Or-  
 tum & Progressum Patriò sibi idioma conscripsit THO-  
 MAS SPRAT & ex eò summam *Transactiones Anglica: Col-  
 legarum* fere numerum Observationibus suis Chymicis olim  
 addidit KUNCKELIUS, sicut & *Dispensatorium Londi-  
 nense* illis pariter illustratur. Postquam scil. turbulentis  
 CRONWELLII temporibus Eruditorum quidam Tyran-  
 nici Regni tædia tentaminibus Philosophicis delinire stu-  
 derent, eaque propter certis diebus in privatis *Per-Illustris  
 & Londini Celeberrimi Chymista BOYLEI* ædibus conve-  
 nirent, restituto verò post CAROLO II. Rege legitimo  
 cœptum illud altius urgerent, Rex rei magnitudine permo-  
 tus tandem curam ejus gessit atque *Regiam hanc Societatem*  
 Anno 1660 instituens, tantis illam Privilegiis decoravit, ut  
 præter Ducem Eboracensem, Regis Fratrem, aliosque Re-  
 gni Proceres & ipsi Regium donare Nomen haud recusârît,  
 factaque Extraneorum accessione Collegarum numerus  
 parvo temporis intervallo ultra centenarium excreverit.  
 Nî grave fuerit, AUDITORES, tribus adhuc verbis hodi-  
 ernum *Societatis* hujus *Statum* Vobis referam, quæ hebdoma-  
 tim singulis Mercurii diebus in dicato sibi *Collegio Gresha-  
 mensi*, haud longè à Splendidissimo, quod Orbis habet, Ma-  
 modochio Anglis *the Nieuw Bedlam*, dissito, convenire solet,  
 ad cuius introitum *Tabula* est suspensa, quæ annum Colle-  
 garum numerum ostendit. *Tota nimirum Societas* constat

ex (\*) Collegio Generali & (\*\*) XI Sub-Collegiis, quæ utrobiq̃ue  
suis gaudent *Theſaurariis* & *Secretariis*, quibus (\*\*\*) *Stipendia* di-  
cata sunt amplissima. *Scopus* Ejus eò collimat, ut *Rerum Natu-*  
*ralium* indoles ex intimo *Naturæ* recessu eruat, erutas certis  
experimentis stabiliat, stabilitas deniq; in *Actis suis Philosophicis*  
Publico communicet. Nec alios sibi fines in Gallia posuit  
*Regia Parisiensium Societas*, quæ in Regis Christianissimi Biblio-  
thecâ hebdomatim convenire solet. De laudabili verò  
*Eruditorum* conventu, qui in Celeb. DN. ROQUII ædibus  
omni Jovis die colligitur, nemini non constabit, cui ob in-  
signem, quo Exteros honorat amorem & accessum heic pu-  
blicas ago grates: Eruditio autem Ejus ex egregio Diario  
*Journal des Sçavans* jam abundè cognita, quod Latinitate do-

C 3

natum

(\*) *Collegium Generale* illis dicitur *Collegium Undecim Virorum*, qui ad  
Clavum Ejus sedent & à latere Sibi habent duos *Theſaurarios*, totidem *Conſerva-*  
*tores*, decemque *Secretarios*, quorum 1. in Galliam, 2. in Germaniam, 3. in Itali-  
am, 4. in Belgium, 5. in Sueciam, Daniam, Norvvegiam, Moscoviam, Russiam,  
6. in Poloniam, Ungariam, Transylvaniam & Regiones Turcicas atque Persicas,  
7. in Hispaniam & Lusitaniam, 8. in Indiam utramque, 9. & 10. in Angliam lite-  
rarum suatum commercia dirigunt.

(\*\*) *Hæc* inter I. *Medicinæ* dicatum est, II. *Mathesi* & *Architecturæ* Mi-  
litari, III. *Institutioni* Liberosum, IV. *Mercaturæ*, V. *Horticulturæ* & *Rusti-*  
*cans* Artibus, VI. Artibus quæ circa potum & frumentum versantur, VII. *Equi-*  
*tationibus*, *navigationibus*, *machinis* aquaticis, VIII. *Textoribus* pannificibus,  
IX. & X. Artibus ædificatoriis, *Architectis*, *Doliariis*, *Tornatoribus*, XI. *Musicis*,  
*Pictoribus*, *Cælatoribus*, *Typographis* &c.

*Collegii Medicis* cura est observare methodum medendi, eamque reformare pro  
commodo generis humani, 1. *Laboratorium* capacissimum *Chymicum* erigere  
& *Pharmacopolium*, inibique *medicamenta* optimè parata ad manus habere,  
3. Alere *Medicos* XII ad præscribenda & administranda *Medicamina* gratis *Paupe-*  
*ribus*, 4. *Alios* XII *Medicos* ad præscribenda *Divitibus* *Medicamenta*. 5. *Thea-*  
*trum* *Anatomicum* insigne habere, 6. Alere *Botanicos* expertes & electos, 7. Alere  
*Chirurgos*, 8. *Inquirere* in *Experimenta* *Magica*, 9. *Colligere* ex omnibus *Sub-*  
*Collegiis* *Experimenta* ad *Naturalem Philosophiam* facientia, indeque *Physicas* *in-*  
*stitutiones* instruere.

(\*\*\*) In Collegio sc. Generali singulis Collegis solvuntur annuatim 400  
lib. Sterling: Pro victu vero singulis mensibus solid. 64 Anglici.

In I. II. & III Sub-Collegio singulis 300 libræ. In Sub-Collegio IV &  
V, 100, In reliquis ultimis 180, libræ.

natum Per-Illustri Nostro NITSCHIO in acceptis ferunt Eruditi. Quin ex eodem conventu præterlapsò nuper annò prodiit haud absimile *Journal de Medecine*, quod BAYLE *Roterodamus* in *Novellis Reipublicæ Literariæ* haud ita pridem in compendiò recensuit. Taceo ea, quæ in *Horti Regii* Introitu partim à Successore DN. CHARRAS, partim ab *Illustri VERNEIO Parisiis* indies instituuntur exercitia. Nec de *Collegio Rosiano* multum gloriari licet, cum aurei, quos pollicebatur, montes nondum sint conspecti. Quare Alpes jam transcendimus, ut *Italiam* admiremur Academiis Ejusmodi & Collegiis quæ aliis superbientem, quæ (\*) longa serie numerantur à B. DN. SACHSIO in *Gammarologia*. Tria tamen sunt, quæ præ aliis usque eminent: Collegium sc. Experimentale Florentinum, *Academia del Cimento* dictum: *Academia Lyncea*, quæ Romis est: Et nuperrimè Patavii cœptum *Collegium Recuperatorum*, quod haud paucos è Germanis Nostris indies adsciscit. Dum verò jam Vestrum mihi Nomen excidit, GERMANI VENERABILES, parum abest, quin cernuò ad terram rubore perfundar, quòd, quam primò nominasse fas erat, *S. R. I. Academia Naturæ Curiosorum* penitus obliviscar! Sed dabitur aliquid communi, quæ Vobiscum mihi interest, necessitudini, partim & solitæ Civilitati, quâ Exteris tempestivè cedendo aliarum Gentium insolentiam modestiâ perdomare noscitis. Sicut autem *Ortum* hujus & *Progressum* jam ante Septennium ex hòc ipsò loco ventilavi publicè, ita nostris hodie temporibus ad summum Splendoris apicem adscendit, dum *Inviçtißimus Orientis Triumphator LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator semper Augustus &c. &c. &c.* raptu plane Divinò tantâ Eandem Gratia profequitur, ut non solum *Donis verè Casareis* Collegarum aliquos

Clemen-

(\*) Plura quoque habet *Inclytus D. MAJOR* in der *Seefahrt nach der neuen Welt.*

Clementissimè afficere, sed sub mediò licet Martis incendio datis de novò *Privilegiis* Societatis hujus curam gerere acquieverit, quæ serie nunquam interruptâ ad Posteròs propaganda Imperiali propediem Bullâ ratificaturus erit *Gratiosissimus Academia* PROTECTOR, *Eminentissimus* atque *Reverendissimus Princeps ac Dominus* DN. FRANCISCUS ANSHELMUS, *Electòr & Archi-Episcopus Moguntinus &c. &c.* quem humi prostratâ Reverentiâ modò publicè deveneror. Ut verò jam cæteris expediar, Societatis Hujus scopus & intentio laudatissima ex annuis partim *Miscellaneis*, partim & *Curiosis Sociorum Opusculis* satis constat, quibus omnes in Triplici Naturæ Regnò difficultates experimentis indies factis expedire laborant. Sic Primus *Academiae Praeses* JOH. LAURENTIUS BAUSCHIUS præter alia jam perfectissimè *Vnicornu Fossile* absolvit, FEHRIUS *Absinthium*, MOLLENBROCK *Cochleariam*, SACHSIUS *Vizem* atque *Gammaros*, GRABE *Cervum*, HERTODIUS *Crocum*, WEDELIUS *Opium*, TILLINGIUS *Lilium*, HAGENDORNIUS *Cynosbatum*, CLAUDERUS *Cinnabarium*, SCHARFFIUS *Juniperum*, SCHROECKIUS *Moschum*, Alii alia. Quodsi cœptus hîc Philosophandi impetus usque perduraverit, Jovem lapidem jurâre ausim, brevî temporis intervallo certum, quod hæctenus in postulatis est, Studii Physici complementum expectandum esse: Duraturum autem credere me jubet summa, quæ studio huic adjuncta est amœnitas.

Sicut enim *omne tulit punctum, qui utile dulci miscet*, ita Scientia Naturalis utrobique habet, quo Sedulis Ejus Amatoribus ex asse satisfiat. Quid enim est, quod & oculos hominum & animos majori cum delectatione pascit, quàm tot rerum vicissitudines, causas & fiendi modos indagasse? Quid admirabilius tot *minerarum* frustis ab AGRICOLA, KIRCHERO, ERCKERO, JONSTONO, BECCHERO  
 erutis?

erutis? Quid tot *herbarum* speciebus à DIO SCORIDE MATTHIOLO, TRAGO, LOBELIO, LONICERO, PAULI, MORISONO, RAJO, HERMANNO, AMMANNO Aliisque depictis & in Hortis Europæ Academicis undique conspiciendis: *Patavino*, puta, *Parisiensi*, *Oxonienti*, *Londinensi*, *Leydensi*, *Amstelodamensi*, *Argentoratensi*, *Altorffino*, *Norimbergensi*, *Eichstettensi*, *Gissensi* &c? Quid speciosius tot *animalium* *insectorumq;* myriadibus ab ARISTOTELE, GESNERO, ALDROVANDO, FRANZIO descriptis? Ecquid jucundius inæstimalibus *concharum* aliarumque Rerum Naturalium thesauris, quos Illustrissima Magnatum GAZOPHYLACIA indies ostentant? Cæsareum puta *Vicennense*, Regium *Haffniense*, Electorale *Monacense*, Ducale *Gottorpiense*, aliaque Germaniæ MUSÆA, *Hamburgense*, *Dresdense*, *Hanoviense*, *Argentinen**se*, *Vlmense*, *Francofurtensia* ad Mœnum, in ædibus SCHEFFERI, WALDSCHMIDII, BANZÆ: *Marpurgense* DN. PEIKENKAMP; & quæ apud Exteros spectantur in ambulacro *Horti Lugdunensis*, Scrinioque DRELINCURTII: *Amstelodami* in Theatro Chirurgorum Anatomico, atque ædibus DNN. RUISCHII, BIDLOVII, Magazinis Indicis: *Hagæ* penes NUCKIUM: *Delphis* apud LEWENHOECK &c. Nescio tamen an oculis ullibi meis tanta usurparim, quanta *Londini* Britannorum in *Musæo Greshamensi*, quæ ex Catalogo illuc edito Curiosis in compendiò exhibent Acta Lipsiensium; *Oxonii* item in Superiori Amphitheatro contignatione Hortoque Academico ter mille herbarum speciebus inclyto. Nec minori cum admiratione spectares ea, quæ Regius *Gallia* Anatomicus Du VERNEY undique collegit & in repositoriis Theatro Parisiensium Anatomico contiguis asservare solet. De stupendis verò *Italia* deliciis ne verbum amplius addidero, nisi quòd Sum-

ma me commiseratione teneat *deplorandum* MALPHIGII *Fatum*, qui ex nuperrimo, quo correptus est incendio, universi & librorum & rerum naturalium suppellectilis jaeturam tulit, proh qualem!

Ut verò dolorem ex Optimi Viri infortunio conceptum aliquantulum demulceam, tribus adhuc verbis *admiranda Recentiorum experimenta* degustare liceat. Utut enim & antiqui *Magia Naturalis* Amatores ea sæpe præstiterint, quæ rerum harum imperitis eacomagiæ suspicionem impressere, qualia sunt MEMNONIS ista *Statua* auroam salutans: ARCHITÆ *columba lignea* per aera volitans: DÆDALI *Venus lignea* viventis instar obambulans: ALBERTI MAGNI *caput aneum* articulatè respondens: DREBBELII *machina* æscum maris ostendens: KIRCHERII aliorumque opera stupenda: Omnia tamen hæc levia sunt, si *admirandas* TORRICELLI, CLERCKII, OTTONIS à GUERICKE, SCOTTI, BOYLEI, HUGENII, PAPINI, VOLDERI, SENGUERDII, STURMII, STAIRII aliorumque *Machinas* observes, queis invisibilem omninò aërem exantlando sonoris sonitum, gradientibus motum, viventibus vitam & adimere & pro lubitu quovis tempore restituere valent. Dicant se *vita* atque *mortis Imperatores* ipsi Medici, majori tamen jure isthæc *Physicis* relinquenda judico. *Physici* enim sunt, qui non morti modò, sed & vitæ imperant, cum Medici sæpe per ægrotorum mortem experimenta faciendo hõc honore excidant. *Physici* sunt, qui *tumulatas in cineribus ideas* à morte resuscitant, quod ex hõc ipsò loco *Desideratissimum Hassiæ Lumen* TACKIUS olim sæpius ostendit. *Physici* sunt, qui *Sympathia* prorsus admirabili distantissimos mundi circulos attingere, animos hominum incantamento qs. flectere, variasque corporum alterationes procreare nõrunt, quod ut uberrimum *Theatra*

*Sympathetico* materiam, ita Curioso literarum Commercio DIGBÆUM inter & Beatissimum Nostrum STRAUSSIIUM olim habito ansam dedit. Multa hîc de stupendis *Camera Obscura* effectibus, *Laternis Magicis*, *Cistis Catoptricis*, *Microscopiis*, *Prismatibus*, *Thermometris*, *Barometris* & aliis explicanda forent, ni tempus silentium imperet & admiranda *Natura jucunditas* jam suâ luce radiet.

Sed ecce! dum jam vela contraho, quosdam audire videor, qui tacitè mihi succensere amant, quòd jucundam quidem *Experimentorum suavitatem* omni studiò adstruere nitat, conjunctam verò difficultatem perfidè reticeam. At salva res est. Non enim diffiteor, quod abdita Naturæ claustra cuivis sine labore haud sint patula, hinc enim abdita audiunt, hinc abstrusa, hinc recondita. Interim haud in via est ad virtutem via & emergens inde *commodum* omnia largò fœnore recompensat. Sit salebrosa experimentandi via, sit pretiosa, sit laboriosa, omnes tamen hæ difficultates *Curiosum Natura Scrutatore* neutiquam absterrere poterunt, cum certus sit, se tramite hóc & facilius ad Naturæ thesauros penetrare, & quas alii struunt, insidias, eò promptius superare posse. Sicut enim illic in addiscendis *Physica Præceptis*

*Segnius* (ut HORATIUS habet) *irritant animos demissa per aurem,*

*Quam quæ oculis subjecta fidelibus, & quæ Ipse sibi tradit Spectator,*

Sic in convincendis Adversantium strophis unicò sepè Experimentò plus efficitur, quàm mille Scholarum argumentis in *Barbara* & *Celarent*. Suo hóc exemplò confirmat JOH. VALENTINUS WILLIUS *de Itineribus Philiatorum Germanorum*, dum, *sepe obmutui*, inquit, *ad Rationes Chymicas, Anatomicas, Mechanicas, Mathematicas, ipse traditionibus ad verba Magistrorum adsuetus. Hinc animi fervidissimâ amulatione eosdem*

*consultari*

consului, qui alios docuere Magistros: *Cultrum, rhizotomum, ignem, aquam, machinas, &c.* Parallela est *Historia*, quæ in Regiomontanâ Borussiæ Academiâ olim accidisse dicitur. Disputabatur illîc de possibilitate transmutationis, quam Theſium Præses ita ibat inficias, ut omnem illam adstruentes rationes acceptare recusaret. Intererat autem duello Chymicus Quidam rerum harum Expertissimus, qui id ægrè ferens HELMONTII argumentum eligit, qui in simili discrimine sententiam suam adstructurus, *in furnis*, inquit, *nostris ita legimus.* Arreptò igitur furnulò portatili carbones inflat & in ipso Auditoriò magno cum adstantium applausu projectionem publicè instituens: Hunc, ad Præsidentem inquit, *hunc, quæso, solve Syllogismum.* Pari meherclè ratione comparatum est cum *Physicis Recentiorum Experimentis*, ad quorum intuitum jam omnes *Scholasticorum Exercitus* receptui canunt & in fugam dati per auditorum pontem ad qualitates occultas, tanquam ad sacram anchoram, quâ data porta ruunt.

Verum ignoscite, PATRES ACADEMIÆ VENERABILES, ignoscite quæso, quod liberius justò agens *Authoritate Vestra* jam abuti atque jocos modò seriis immiscere audeam. Nec enim animus mihi est recepta *Veterum Principia*, tanquam Sexagenarium, unò impetu de ponte dejicendi, cùm & iis olim per tempus benè multum oleum impenderim & operam: Quin amicabili connubiò antiqua semper novis maritando, atque veritati ubique primas deferendo, *Veterum inventa*, modò Antecessoribus meis haud insolito, *recentissimis Modernorum Experimentis* ultrò corroboraturus sum, cùm *Statutis* illud *Academicis* adeò non contrarietur, ut expressis potiùs verbis illîc cautum sit. Sicut enim hæc Philosophandi Methodus jam in plerisque *Germaniæ Lyceis* magni penditur, ita Ejus Academiam Nostram prorsus

sterilem esse, ab omni æquitate alienum esse judico. Quia potius ea, quæ hæc in parte à tenuitate mea proficisci poterunt, in ultiores Ejusdem accessiones datâ opera collocaturus sum; quod ut summis hæctenus in votis habui, ita occasionem hæc à *Clementissima Nostra* PRINCIPE subministratam & commodam satis & gratissimâ animi devotione dignam agnosco. Quod ut expediam

TIBI

O TRINUNE DEUS

*Rex Regum & Domine Dominantium*, TIBI ex intimô cordis recessu grates persolvo devotissimas, quod ab incunte juventute studiis meis Clementissime benedicere & quem

*Per varios casus, per tot discrimina rerum*

mirabiliter hæctenus duxisti, Patriæ restituere, in adversitatibus quibusvis ac infortuniis consolari, tandemque vitam meam atque studia Divinâ hæc & Paternâ vocatione Tibi curæ esse volueris. Da BENIGNE DEUS, ut Spartam hæc, cœlitus oblatam, ita semper administrem, quod cœpta mea & cœamina in Divini Tui Nominis honorem, Patriæ Celebritatem, Proximiq̃ commodum unicè vergant. Esto mihi in Petram fortem, & in domum munitam! Sis mihi omnis Polus, qui cum Filio Salvatore Spirituq̃ Tuo sine fine regnas, TIBI sit Honos & Decus & Gloria in æternum!

*Post* DEUM Immortalem ad *Augustum Serenitatis TUÆ Thronum* cernuus devolvor, ILLUSTRISSIMA PRINCEPS ac DOMINA CLEMENTISSIMA, quæ ut Patriam hæctenus Nostram Tutela Principali salvam conservasti atque rectam, ita studia mea ab interitu vindicare, & dum jam aliis ad ultimas desperationis incitas redactus videri poteram, è pulvere Clementissime erigere ac quievisti! Quid verò TIBI rependam, PRINCEPS OPTIMA MAXIMA, quæ dona feram atque munera pro tantâ,  
quam

quam in me exeruisti Gratia? Certè cum præter vota in vi-  
ribus nostris nil sit reconditum, isthæc TIBI offero, sed in-  
genua, sed sincera, non improba, non inania, vel ad speciem  
efficta. DEUS TE seruet! PRINCEPS CLEMENTISSI-  
MA, cum Illustrissimo HÆREDITATIS PRINCIPE &  
Univerfa Domo Principali! DEUS TE seruet & sub feli-  
cissimò regimine nullis unquam temporum injuriis arietan-  
dâ Valetudine ac Prosperitate Principali cœlitus inundet!  
Hæc calidis à DEO suspiriis ex animo voveo subjectissimò!

Abhinc & *Vestra Venerabilis* mihi recordatio est, EMI-  
NENTISSIMI CONSILIARII PRINCIPALES! *Tua* PER-ILLUS-  
TRIS DOMINE de GEMMINGEN, Hassiæ Nostræ Salomon, quem  
ut vultu referas atque actionibus coram admiratus sum: *Tua* INCLY-  
TE DOMINE MALCOMESI, in quò per Orbem volitans TABO-  
RIS Eruditio revixit ita, ut vel ipsa Themis in selectu hælitet: *Tua*  
GENEROSISSIME DOMINE de GEISMAR, qui sub-  
inde *Nostræ* aliquid putare nugas & Gratosò non minus, quam ratio-  
nali iudicio scripta mea atque studia sæpe sublevasti! *Vestra*, inquam,  
*Venerabilis* mihi recordatio est. *Per Vos* enim hanc Cathedram con-  
scendi: *Per Vos* jam publicè pro concione dico: *Per Vos* & Patriò  
mihi Heliconi litaturus ero. Hinc Gratias suscipite prolixas, non quas  
ferre debeo, sed quascunque valeo!

Nec *Vestram*, PATRES ACADEMIÆ, *Sinceritatem* hęc mino-  
ris æstimo, quod & destinatum in Collegio Vestro locum amicè indulgere  
& Honorificâ modò præsentia me reapse sustinere complacuerit. Sicut  
autem hæc infucatò animi respectu lubentissimus amplector, ita seriò jam  
adstipulor, me omnes eò nervos intensurum, uti Collegam habeatis ami-  
cum, tolerabilem & Honoris Vestri cupidissimum.

Tandem & *Vestra*, CIVES ACADEMICI, *Civitas* hęc neuti-  
quam reticenda erat, quod agmine huc factò convolare, vacivas ad tem-  
pus aures commodare ac applausu denique Vestro me dignari volueritis.  
Ferte domum grates ac parilem à me affectum expectantes certò credite  
quod nemini unquam studia mea sim denegaturus, sed pro virili  
gratificaturus. *En dextra fidesque!*

D I X I!

D 3

PRO!



PROGRAMMA  
INVITATORIUM.

RECTOR  
ACADEMIÆ GIESSENÆ  
ANTON - HENRIC. MOLLENBECIUS,  
*V. J. D. & PP. Ordinarius*  
CIVIBUS ACADEMICIS  
S. P. P.



Uisquis publicè docere vult atque Professoriò rectè fungi munere, non repente nec temerè profiliat ad hoc munus, sed legitimè vocatus & optimorum conspirante consensu probatus idipsum suscipiat; Illumque Rescribente Imper. in *L. 7. C. de Profess. & Med.* Moribus primùm, deinde Facundiâ excellere oportet. M O R E S BONOS in Professore ibi requirit Imperator, h. e. ut laudabilem & inculpabilem in se probis moribus vitam esse monstrat, & FACUNDIAM, h. e. ut Professor docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem copiamque differendi se habere patefaciat; quemadmodum alibi id explicant Imperatores *Theodosius & Valent. in L. unic. C. de Prof. qui in Vrbe Cp. & c.* Et quin hoc quoque apud Nos in Novo jam Physices Professore constituendo, optimè perpendit Serenissima Princeps ac Domina, DNA ELISABETHA DOROTHEA, Hassiæ Landgravia, Princeps Hers-

Hersfeldiæ, Nata Dux Saxonix, Juliæ, Cliviæ ac Montium &c. Comes in Cattimeliboco, Decia, Zigenhainâ, Nidda, Schauenburgo, Ysenburgo & Budinga, Patriæ & Academiæ Mater Munificentissima, Princeps ac Domina Nostra Clementissima, nequaquam dubitare licet, dum Illa in piè defuncti DN. D. LAURENTII STRAUSSII, hæcenus in hæc LUDOVICIANA & Medicinæ & Physices Professoris Celeberrimi locum, alium quendam Insignem Physicum, Naturæ Contemplatorem & Scrutatorem Curiosissimum, Clementissimè vocare atque surrogare voluit; Virum nempe Nobilissimum, Experientissimum & Excellentissimum DN. MICHAELEM BERNHARDUM VALENTINUM Med. D. atque S. R. I. Acad. Nat. Curiosorum Collegam Meritissimum; De cujus tum Morum & Vitæ integritate, tum docendi peritiâ & dicendi facundiâ, aliisque præclaris animi dotibus, cum jam publicè ex ipsis rerum Documentis atque in lucem editis Speciminibus satis constaret, & inde Serenissima Nostra non minus certior redita esset, ex singulari propensione Virum hunc in numerum suorum Professorum adsciscere non fuit dedignata, Physices Professione Ordinariâ gratiosissimè Ipsi collata. Quàm Spartam quin ipse magis ac magis egregiè exornaturus sit, non est, quod ambigamus, nil magis in Votis habentes, quàm ut ea res benè feliciterque eveniat, & in publicum, præprimis Studiosæ Juventutis, totiusque Academiæ Nostræ redundet commodum. Constituit autem Vir ille Celebratissimus ex Statutorum formulâ, functionem suam Academicam ab Inaugurali Oratione auspiciari, & de PHY-SICES EXPERIMENTALIS ANTIQUITATE, OR-TU & PROGRESSU, Themate Professioni suæ convenientissimo, verba facere. Vestrum erit, Cives optimi, so-lennem hunc actum frequenti concione vestrà exornare, deque

deque elegantissimâ materia dicturum lubenter audire. Cui  
Panegyri quoniam hora IX insequentis diei Martis dicta  
est, Ego, ut statô illo tempore in Auditoriô Jctorum com-  
parere ne gravemini, etiam atque etiam Vos invito, Salvete  
omnes & Valete. *Publ. Gissa sub Sigillô Academ. Majoris*  
*d. 29. Maji, A. 1687.*



# CARMINA VOTIVA AMICORUM.

## VIRIS

*Nobilissimis, Excellentissimis & Experientissimis, DN. JUSTO  
FRIDERICO DILLENIO & DN. MICHAELI BERN-  
HARDO VALENTINI S. R. I. Academia Naturæ Curioso-  
rum Illi Aebati, Huic Thessalo dd. Professoribus PP. OO. in  
Almâ Gissea, Fautoribus & Collegis Plurimum  
Honorandis,*

*G* Ratulor Ambobus de Sparta ritè recepta  
*Q*uam lepidè ornatam, sat, scio, quisque dabit.

VV.

**D. JOH. MICHAEL FEHR,**  
*d. Argonauta, Sacrae Caesaræ Majestatis  
Medicus, & Acad. Germanorum  
Curiosa Ex-Præses Hemiplecticus.*

*Suinfurti d. 26.  
Julii, 1687.*

I.N.J.

**P**Andit ad æternam, quâ se ratione salutem  
 Et vult cognosci Conditor ipse DEUS;  
 O felix animi, Sacro qui Codice vitam  
 Omnemvolvendo transigit, idque docet,  
 Fortunatus & ille, DEI quem facta morantur  
 Quæque ministra DEI fida subinde novat:  
 Qui rerum causas, ortusque, obitusque per orbem  
 Perspectos ad eò mente sagace tenet.  
 Quale Tibi munus, mandat jam GISSA Valentè  
 Tuque volens ipsum, Nobile Pectus, adis.  
 Et cur non multum Tibi nomine gratuler isto?  
 Quamvis pauca loquar, jam Tibi sensa patent.

*Prænobili & Excellentissimo DN. MICHAELI  
 BERNHARDO VALENTINO de nova sse  
 gratulatur Professione*

**JOH. GEORG VOLCKAMER, D.**

*Sacr. Cæs. Maj. Medicus Acad. Nat.  
 Cur. Præsès & Colleg. Med. Norib.  
 Senior Primarius.*

*D. Norimberga d. 7. Julii  
 Anno 1687.*

**I**ncipit Arte Medens aliàs ubi Physicus esse  
 Desiit: ut vulgo dicitur usque solet.  
 Unde VALENTINI Medicorum castra relinquens  
 Ad Physicos igitur sponte relapsus abis?  
 Siccine Natura cursus subvertere juvit?  
 Siccine retrogradum juvit iisse gradum?  
 Juvit iisse gradum, quo Cælum, Patria, Princeps  
 Quo Te Fata trahunt: Ito Bonis Avibus!  
 Thesauros studii Physici reclude latentes  
 Quos Natura sinu, condidit alma suo.  
 Ite Bonis Avibus, Victor tandemque redito  
 Quo Medicaturus Physicus esse finit!

**CAROLUS DRELINCURTIUS, D.**

*Regis Christianissimi Medicus Cubicularis  
 & Facultatis Medice, quæ Lugduni  
 Batavorum est, Senior.*

E

B. C. D.

**N**Octes atque dies patet Almæ janua Matris  
 Quidquid & in gremio continet, omne patet!  
 Ast opus & labor est abstrusas noscere vires,  
 Et vis ingenii vix penetrare potest.  
**C**onando tamen hæc fieri leviora videmus,  
 Atque onus hoc vincit sedulitate probus.  
**D**igna Syracosio Senæ sunt inventa Novorum,  
 Attamen Antiquos & bona fama manet.  
**F**elix Antiquæ qui lucem fœnerat Arti,  
 Antiquâque Novam perpolit atque colit?  
**I**nde VALENTINI, Magni Pulle Optume PHOEBI  
 Eruis ingenio nobiliore *Quis*.  
**Q**uid neget, & quid det CERTA EXPERIENTIA monstras,  
 Sic RATIONIS opus tutius ire potest.  
**N**on alius poterat SLIBLIMIS dogmata STRAUSSI  
 Propagare, TIBI palma datur merito.  
**A**uctam se per TE fateatur gloria GIESSÆ  
 Eternæ, æternum & sic TIBI Nomen erit!

*Nobiliss: atque Excell. Dn. D. & PP. VALENTINI.*

*Collegæ Honoratiss.*

*Genuino Phyeos Interpreti per Experimenta  
 adplaudit*

*HEIDELBERGÆ*

**GEORGIUS FRANCUS,**

*Med. & Phil. D. Illiusque Prof. Prim. Uni-  
 versit. Vice-Cancellar. Aliquot S. R. I.  
 Elect: & Principp. Archiater, Acad.  
 Natur. Curios. & Italia Recuperat.  
 Collega, C. P. Cesar.*

---

*Vir Nobilissime, Excellentissime & Experientissime, Dne Doctör, Fav-  
 tor ac Amice Observandissims &c.*

**N**on immeritò jucundissima illa rerum materialium scientia, quam  
 communi nomine *Physicam* cuncti appellant, futuro Medico aded  
 habetur necessaria, ut absque illius intimâ cognitione vix dignum aliquid  
 operâ

operâ præstiturus hic percipiatur. Nempe reverâ Ars servandi homines pars solummodò amplæ istius apparet scientiæ, generalia ad corpus humanum in specie referens, hujusque commodam dispositionem & integritatem aut retinens aut restituens. Quàm manca verò vulgaris illa Peripateticorum Physica fuerit & quàm parum utilitatis reipublicæ Medicæ præstiterit, ipsa clamitat rerum magistra experientia. Inde est, quòd præteritis in seculis ipsa veritas in profundo jacuerit puteo, nec ex eo erui potuerit, nisi summâ sedulitate & mentis acumine eorum, quos Divina Sapiencia ultimis hiscetemporibus fulgore suo splendidissimo irradiavit. Quantis enim in tenebris vixerint, & quàm parùm notitiæ & profectûs habuerint in verâ cognitione rerum etiam illi, qui præ reliquis artium & scientiarum æstimari & honorari volebant magistri, indicio sunt tum obscurum illud *Natura* vocabulum, tum tot qualitatum primarum, secundarum, tertiarum & occultarum caterva, quibus quamvis in ore & scriptis eorum nihil fuerit frequentius, nihil tamen memoriâ dignum iis præstari, neque ullius in rerum universo contingentis effectûs vera causa explicari potuit, sed primum & ultimum seriò scire desiderantibus hoc fuit votum: *Felix qui potuit rerum cognoscere causas!* Hanc tamen felicitatem diu optatam tandem obtinuerunt veri Philosophi, auxiliante divino illo dono *Mathesi*, quæ tot factis experimentis manifestè hætenus declaravit, quam cuncta in hoc universo miro ordine, pondere, numero & mensurâ cohæreant, quàm variis extensionum terminationibus & figuris res a se invicem differant, & quor motuum sint modificationes ad paucas tamen leges reducibiles, ex quibus principiis certis & verissimis quævis abstrusa facilè nunc queunt detegi & ipsa *Ars Medica* magnum cepit incrementum, indies copiosiores fructus collectura. Hæce verò utilitates dum erudito orbi recentis Oratione Tuâ Inaugurali elaboratissimâ, Nobilissime & Excellentissime Domine *Valentini*, simul quid *valeant humeri* tui commonstras nobisque spem præbes maximam, fore, ut amplissimo nunc *munere* fungens *Academico* Physicam scientiam itâ sis explanaturus, ut ejecto idolo illo *Naturâ*, quod toti mundo hætenus splendidissimo sed falso suo titulo imposuit & ipsos penè sapientes ad sui cultum seduxit, soli Deo summi illi reddantur honores & cunctorum phænomenon tam in macrocosmo, quàm microcosmo, veræ juxta leges mathematicas reddantur causæ, & quæ sint ipsa semina rerum evidenter aperias, quibus magnum Medicis accendetur lumen & tum sani, tum ægri, singulare percipient solatium. Gratulamur itaque Academiae Gissenæ Celebrerrimæ, quod damnatum illud ex morte Viri illius famâ suâ ævum victurû per omne, Domini Doctoris *Straussii* p.m. ægrè aliàs susceptum, per Te facilè & citò habeat restitutum, Gratulamur & Tibi, Vir Excellentissime,

de diu promeritâ dignitate illâ Academicâ , tanquam scalâ obtentâ ad  
 summum perveniendi honorum & eruditionis fastigium. Cunctarum  
 ille rerum & Creator & Conservator Te diutissimè servet incolumem,  
 omniq̃ue mentis & corporis robore Tibi prospiciat, quo semina spargas  
 sanioris doctrinæ, quâ Majestas divina absque ullâ læsione sanctè glori-  
 ficetur, & multi exsurgant viri eruditi Doctoris sui vestigia premendo fa-  
 mam ejus non modò longè dilatantes , sed planè reddentes immor-  
 talem!

*Cassellis è museo meo*  
 14. Junii, 1687.

*Hac seriâ mente precatur*

JOHANNES DOLÆUS Med. D.  
 Confil. ac Archiat. Hasso-Cassellan. atque  
 S. R. I. Acad. Nat. Cur. Coll. d. Andromachus.

**O** Fortunatas nimium, sua dum bona norunt,  
 Musas, quæ pendent semper ab ore tuo?  
 His doctè pandis, quidquid Natura recondit,  
 Et tellus, æther, ignis & unda tenent.  
 Ecquis enim dubitet? genii solertia nostro,  
 In Coetu dudum nobilitata viget.  
 Non fallor: facile patrio succedere Pindo  
 Haud poterat Doctor dignior Hassiaco.

sic

meritissimis honoribus

Excellentissimi DN. Professoris,  
 Collegæ sui in Academia Nat. Curios. amicissimi,  
 adplaudit

*Augustæ Vindelicoram*

LUCAS SCHRÔCKIUS LVC. fil.  
 Med. D. Phys. August. d. Acad. Adjun-  
 ctus, & Ital. Recuper. Collega.

JOH

JOHANN DANIEL DORSTENIUS Med. D.  
*Anat. Chirurg. ac Botan. Prof. Publ. Solennem & examussitatam Ora-  
 tionem de Philosophiæ Experimentalis Antiquitate Ortu & Pro-  
 gressu ipsamque spartam Academicam*

*Viro Excellentissimo, Expertissimo Clarissimoque*  
 DN. MICHAELI BERNHARDO VALENTINI Med. D.  
*& Phys. Prof. Ordinario Celeberrimo, Fautori & Amico suo Integer-  
 rimo sincero animi affectu gratulari voluit, debuit.*

**V**ivere discedens dicebas vivere non est  
 Malebasque mihi dicere vive, vale!  
 Cumq; Valere Tibi verè sit vivere, oportet  
 Ritè VALENTINUM vivere præ reliquis,  
 Nempe Vales animo, præpolles viribus alti  
 Ingenii: Hinc reddo nunc Tibi vive vale!  
 Vive Vale! multi mortales vivere verè  
 (Ut per Te possint, atque valere diu  
 Vive VALENTINE atque dehinc Tua Machina Vivat.  
 Exsuperans artes Machina Dædalias.  
 Sera VALENTINI vivat post funera Fama!  
 Sic mihi mi DAMON, sic mihi Vive! Vale!

*avrogediasì Marburgi*  
 d. 16. Jun. A. 87.

Euge! Bonum Factum!  
 Indefesso Rerum Naturalium Scrutatori,  
 Adsiduo Arcanorum Naturæ Indagatori,  
*Physico prorsus Egregio*  
*Physica demandatur Professio,*  
 Dignissimo dignissimè.  
 Nempe,  
 Uti Alexander ille Macedo,  
 Cui rerum gestarum magnitudo  
 Magni cognomentum peperit,  
 Jam jam moribundus, à Principib. Amicis  
 Eccui Regnum relinqueret? consultus  
 consultò respondit:  
 Ei, qui esset Optimus:  
 Sic Optima Mater Patria  
 Serenissima ELISABETHA DOROTHEA  
 Dia Principum

Spartam Egregiam, Spartam Nobilissimam  
 non nisi Dignissimo  
 Clementissimè conferre dignata est:  
 Honoris enim præmia ibi esse docet,  
 ubi sunt Virtutis merita;  
 Quæ quò in Te, *Colendissime Dn. Collega!*  
 sunt ampliora,  
 Eò & Splendidiora laudis ornamenta  
 ut capias, animitus opto,  
 insimulque de Novis Honorib.  
 Virtuti ac Eruditioni Tuæ debitis  
 seriò Tibi gratulor,  
 Nullus dubitans, quin luculentam istam,  
 quam meritissimò Tuò nactus es Spartam  
 luculentissimè, ac uberrimo  
 Auditorum Tuorum emolumento  
 sis exornaturus:  
 Qui Te iccirò  
 non in oculis tantùm gerent  
*Oculissime Dn. Collega!*  
 sed &  
 non alium, quem audirent Ipsi,  
 Digniore[m] extitisse ingenuè confitebuntur.  
 Quid enim Tui valeant humeri  
*Valentissime mi Doctor Valentini!*  
 licèt ip[s]us optimè nôris,  
 nôrunt tamen & Alii;  
 Et hos inter Ego:  
 Quippe Qui non heri demum aut hodiè  
 Verùm ab annis jam bene multis  
 Tuò Ipsius meritò mihi notus sis.  
 Sed & isthæc, quam  
*De Physices Experimentalis tum antiquitate*  
*tum Eiusdem Oris & Progressio*  
 Athenis Giessensib.  
 non ita pridem recitasti  
 & jam publico destinasti  
*Oratio eruditissima*

(Ut exasciatam Tuam *Inauguralem*  
 Giffæ pridem habitam *de Convulsione Diatribam*,  
 Ut duplicem *Morbone Muliebris ac Monstrorum Hassiac. Anatomem*  
 Ut *Moxa Historiam & de Podagra Meditationes*,  
 Ut *Paranesin ad Germanos Germania Archiatros*  
*Illam Lugduni Batavorum,*  
*Hanc Londini Anglorum.*  
 ipso in itinere Tuo abs te editam,  
 Ut alia nunc taceam)  
 testatur abundè.

Te non leviter aut superficialitè saltim tinctum,  
 verùm penitus imbutum esse iis Artibus,  
 quæ honor & fama & gloria  
 & opes hodiè que parantur.

Quid? quòd  
 non contentus fueris ætatem domi latitasse  
 veluti domi porta chelone,  
 quia potius invisere satigesti terras alio sole calentes,  
 ibique curiosis oculis lustrasti, usurpasti, quasi vixisti  
 non convivia Sybaritica

& varias variorum ferculorum cupedulas;  
 Non Perficas lectulorum delicias,  
 neu dulcamaras Solvilumbæ  
 Veneris illecebras:

sed quicquid rari, curiosi, memorabilis  
 ubique locorum, per quæ transisti,  
 visui occurrebat;

Sed quicquid Eruditissimorum Virorum,  
 & Illustrium Orbis luminum  
 & insignium Naturæ-Consultorum  
*Batavia, Anglia, Gallia, alunt;*

imò quicquid auditu spectatuque dignum  
 ubicunque locorum occurrit,  
 id sedulo utique connotare  
 inque succum & sanguinem Tuum conver-  
 tere non desisti,

Non corpore tantum, sed & animo peregrinari  
 doctus;

Adeo que prisco similis Ulyssi

Mul

Multorum mores hominum vidisti & urbes  
multas.

Felix hac parte præ aliis multis,  
queis non semper licet adire Corinthum.  
Mæcæsis igitur hac felicitate, hac virtute Tua  
*Virtuosissime Dn. D. Valentini!*

Atque individuam illam virtutis comitem in  
vidiam

generoso animo contemne,

Tuaque Te virtute,

(ceui prudentissimè Romanæ fidicen lyrae monet)

involvito,

ubique Celebris futurus

etiam ubi latere videaris :

Latent enim summa sæpe ingenia in occulto.

Bene vale *Valentissime mi D. Valentini*

*Collega duplici nomine animo meo charissime!*

At me verficulos hac vice nullos posce;

quandoquidem vena mea hoc tempore,

quò jam caletur maximè,

ingratiis meis omninò exaruit.

Iterum Vale!

Ac extemporaneam hanc congratiunculam

æquus bonus tantisper

æqui bonique consule.

*Nobilissimo, Clarissimo & Experientissimo Domi-  
no Auctori, Collega Conjunctissimo, Amico estimatissimo, amo-  
ris & honoris gr. l. m. q. f.*

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS

D. Werthemii d,

2. Jul. A. 87.

*Med. Lic. hætenus Comitatus ac Civitatis  
Wertheimensis Medicus Ord. Jam v. de-  
signatus in Academ. Hasso Giffena Medi-  
cine Professor Publ. Ord. Nec non S.R.J.  
Academia Naturæ Curiosor. Collega, d.  
Achates.*

*Dicitur*

**D**icitur ense fero ventrem secuisse Parentis  
 Atque oculos visu conscelerasse Nero.  
 Te verò Natura volens admittit & ultrò  
 Viscera dat toto conspicienda die:  
 Qua penetres acie mentis, **CLARISSIME FACTOR,**  
 Vt laudes etiam, qua bona visa, bonis.  
 Clarior hoc Matri Natura Filius, ipsam  
 Quò magis inspicias, quaque videnda parit.  
 Hinc Te non tantum mirabitur Alma loquentem  
 Qua cluet ad Lani lenè fluentis aquas.  
 Sed cum profectus quoque crescens turba Medentum  
 In rem convertet, dogmata nota suam.

Excellentissimo DN. PROFESSORI de  
 jucundissimâ rerum naturalium con-  
 templatione ipsi recens mandata gra-  
 tulaturus scribebat

**HELIANTHUS II.**

A. Ω.

Considerando il particular Soggetto del profondissimo sa-  
 pere dell. Illust. & Eccellentissimo Signor, Dottore e Professore V A-  
 LENTINI, così, sommamente ricreandosi brevemente esclama  
 Lo Suisceratissimo e Leal suo Servo

G. B. M.

**PENNE, TORCI, VOLUMI, INCHIOSTRI, E CHARTE,**  
 Di VALENTIN L' Onor e Gloria sete,  
 Mà col vostro Saper dir non Sapete,  
 Qual sia maggior in Lvi, NATURA, ò L' ARTE?

**W**ie hoch dein Kluger Geist auff des Parnassus Spizen /  
 Geschwungen sich empor / erkennen wir daher /  
 Weil wir dich Jezund sehn im Rath der Lehrer sitzen /  
 Ich wünsche tausend Glück zu Solcher Hohen Lehr!

Darmstadt den 20.  
 Julii 1687.

F

A & Ω.

*Un Animo Virtuoso e VALENTE, contentandosi di se stesso, ogni auersità schermisce, e Vittorioso e Trionfante così seco ragiona nel seguente*

## SONNETTO.

## SAPIENS DOMINABITUR ASTRIS.

**I**ncrudelite pur Astri maligni!

Congiuri à danni miei ogni Pianeta!

Di Fortuna allo stral mio sen' sia mèta,

Facciansi al mio pregar i Ciel macigni!

Eccovi il Cuor! usate Arti & ordigni,

Per fulminarlo, e ritornarlo in Creta,

E la mente agitata hor tutta inquieta,

Non prouì più del Sol raggi benigni;

Et unita all' Ostil, L' Amica Gente,

Congiuri contro me frodi à vicenda,

Precipitando in me novo Torrente!

Nò! Non palpita punto, nè si risente

Questo mio Cuor, il qual solo comenda

VERA VIRTU, CON QUAL VIVE POSSENTE.

*Darmstat li 20.*

*di Giulio 1687.*

**Α**ξιολογίας ἢ δὲ υφ' ὀφθαλμοῖσι μεμίσχθαι  
 Ἐστὶ τις, ὃ μεγαλῶν ἀρετῶν χρυσάμωυκος ἀνγὸς  
 Ἐκ γενέτας φάει αὐτοζώνησ' ἔσσοντα,  
 Θεωπαδαῖς μὲν πᾶν εὐχῶσ' περὶ φεγγέσι λάμπεσ  
 Ἀγλαΐης ἰδίης ἀμαρτύμασιν, εἰ δέ τις αὐτὸ  
 Εὐκελάδων ὕμνων ἀγαναῖς περὶ γέσιν αἰερεῖ,  
 Μᾶλλον παμφανόωντ' ἄθεοι δωρήματα σίλβει.  
 Ω φίλε πολλαῖ σοφοῖς καὶ ἐμῶ κεχαρισμῆς θυμῶ,

Κοι ΘΕΟΣ Ασιακῆς γαίης λιπαροῖς ἐν Αθήναις  
 Ἰδυίῃρ⊕ ἀεζινὸς ζηλωτὸν ὄπασσε  
 Κῦδ⊕, παυλοδαπῶν μόχθων σεφάνωμα φαεινόν.  
 Κωμάζω καὶ δοξολόγοις μολπῆσι γεγωνῶ  
 Ολοδοσίῃρα ΘΕΟΝ πολυγηθε⊕ εἶνεκα πότμος,  
 Ον πόρε COI θεῖαν γῆ μελιχίν μελικόμωοις  
 Χρη κελαδεῖν μελέεσσιν ὁμογλώσσων ἀπὸ λαιμῶν  
 Πρὸς καλὸν ὀρθῶσαι κοινόν. Μνήσειρα δὲ παρδῆς  
 Ακμήτετ' ὄργας πέλε μαλθακόφων⊕ αἰοιδῆ  
 Ἀνδράσι τεχνόποιοισιν. Ἀνυμνήτων δὲ σιωπῆς  
 Ἀγνώστου ἐκάλυψε μέλαγκρηδέμν⊕ ὁμίχλη.  
 Ω φίλε, χαῖρε, θεόδμηλον δαπάναις τε πόνοις τε  
 Εὐρες ἀκεσοεῖν, πείφοι⊕ ἐπ' εὐρέα γαίης  
 Τέρματ' καὶ μέγα λαῖτμα πολυφλόισβοιο θαλάσσης,  
 Εἴφασσας φύσεως θεσαυρὸς αἰολομόρφος,  
 Βελγὸμύ⊕ τε βιωφελέ⊕ κλεάτεσσιν ἀγῆστοις  
 Ἰδυοσύνης νῦν ἐμπνύσασθ' αἰκύμον⊕ ἔρα  
 Εξαλλοῖς πρὸς εὐπεραγῆς βαῖλαις σέθεν εὐνάς.  
 Χαῖρε μάλα, φθονερόν τ' ἄμύ⊕ θεοθαροῖα θυμὸν  
 Μὴ θεράση. Πρὸς φῶς ἄγε ποικιλομηχανα τέκνω  
 Εκ παρμηλείρας βαθε⊕ κόλποιο Τιθήνης,  
 Ορφναίησίτ' ἀναπτε φρεσὶν θεοδείκτορα πυρσόν,  
 Ο ΥΑΛΕΝΤΙΝΟΙΟ τότε κλέ⊕ ὑψι φανεῖται  
 Ως ἀλλων ἄσρων ἐν ἀγάλμασιν αἰθεροπλάγκτοις  
 Φωσφόρ⊕ ἀγγέλων ἡῶς ὀλοπέρφυρον αἰγλην,  
 Ἀνθήσ' τ' ἐνημερίης ἀμάρανη⊕ ὀπώρα.

Τῆτο τὸ φιλίας μνημητῶν  
 πρὸς τῆ

**L. Gottfried Hennicke**  
 Illustriss. Comit. Erpacens.  
 Medic. Ord.

**M**ulta quidem Physicis Mater Natura revelat  
 Sed paucis licuit rerum cognoscere causas,  
 Causas queis addit rerum Experientia pondus,  
 Hæc ergo properes agedum Studiosa Juventus  
 At aures faciles Physico præbeto Recentibus!  
 Sic poterunt breviter Naturæ occulta patere,  
 Namque VALENTINVM quis denegat esse Valentem.

Francofurti ad Mœnum d. 30.  
 Julii. Anno 1687.

Honoris & amoris ergo  
 F.

LUDOVICUS HERMANNUS  
 RÖDER N. C. P.



TE.



*Handwritten scribbles or signatures in the lower right corner.*